



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

161. An Novitius in articulo mortis possit dari professio Novitiis? Et si moriatur sine testamento, an succedat in eius bonis Monasterium? Et an in dicto casu, quo fiat professio, an novitius, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

nacina; nominatim etiam eos impugnat Bordonus, tract. de Professione Regulari, cap. 3. quæst. 15. Itaque ex omnibus supradictis patet me his diebus in facti contingentia consultum, rectè respondisse, Novitium non habentem alium Canonicum impedimentum, nisi simplicem prohibitionem, nè emitteret, vel admitteretur ad Professionem; hoc non obstante, validè illam licèt illicitè emisisset. Et omnia superius dicta diligenter adnotare volui ad ornatum illius difficultis questionis, An lex prohibens actum etiam illum annullat.

12. Sed si aliquis Curiosus vellet Regulam generaliter ad cognoscendum quando lex prohibens actum eundem irritet, difficile est quidem hoc dignoscere: nec sufficienter, & nominatim à Vasquez disp. 165, cap. 3. cujus Regulas defecere offendit Suarez, lib. 5. cap. 27. & Regulas Suarez etiam defecere probat Merolla tom. 2. disp. 4. cap. 5. difficult. 3. Melius ergo per alios colligitur, num lex, quæ prohibet, irritet actum, scilicet ex consuetudine, ex communi intelligentia ita legem explicante; item si non solum actum, sed vinculum inde resultans prohibeat, seu si impediat omnem effectum talis actus. Et hanc Regulam proponit Præpositus in par. 2. D. Thomæ q. 95. disp. 5. num. 53. qui etiam observat vnum valde notandum, nempe probabile esse actum non irritari, quando lex prohibens apponit aliam penam, eò quod Legislator videatur recedere ab illa pœna, lege. Non ambigim, contentus particulari, quam apponit legi suæ. Notentur, vt dixi, omnia apposita in hac Resoluzione, quia erunt satè practicabilia, & quotidiana.

RESOL. CLX.

An Novitius in articulo mortis constitutus, non expleto probationis anno, ad professionem admitti possit? Et si moriatur sine testamento, an succedat in bonis eius Monasterium? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 17.

1. Respondeo affirmatiuè cum Beia part. 4. c. 38. Sanchez, & aliis DD. vbi supra, ex privilegio Pij V. anno 1570. die 23. Augusti, quod assertit Rodriguez in quæst. Regul. tom. 6. quæst. 15. artic. 6. quidquid in contrarium asserat Ioann. de la Cruz de stat. relig. lib. 1. cap. 8. dub. 4. & lib. 2. cap. 3. dub. 6. conclus. 3. Emanuel Sa ver. Religio. numer. 56. asserentes dicto privilegio fuisse postea derogatum à Gregor. XIII.

2. Sed difficultas est, an si dictus Novitius moriatur, succedat Monasterium? Peregrinus in compend. nostrorum privileg. tit. Novitius, §. 2. in scholio, negat, quia istud privilegium fuit concessum ad lucranda indulgentiam plenariam, qua gaudent Religiosi in illo articulo. Deinde privilegium debet strictè interpretari, quando vergit in præiudicium tertij. Ita Peregrinus.

3. Verum ego contrariam sententiam teneo, quam tuetur ex nostra Religione P. Megala in part. 2. lib. 2. cap. 27. num. 50. ex Societate Iesv P. Sanchez in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 16. ex Dominicanorum familia P. Zanardus in Direct. Theol. part. 2. cap. 17. ad finem. Idem etiam docent Peirinus in privileg. Minorum, tom. 2. Constitut. Pij V. §. 2. tom. 2. num. 1. Ioannes Suarez in Enchiridio casuum conscient. lib. 3. ver. de Profess. §. monialis Novitia. Faultus in Theaur. Relig. lib. 5. quæst. 167. num. 4. & alij. Ratio est, quia est professionis finis sit consolatio Novitij, & spiritalis ipsius fructus, & nulla successione Monasterij in bona mentio ibi fiat: at vbi semel virtute illius privilegij professus est, redditur verè in posterum pro-

fectus * nec ad pristinam sanitatem restitutus indiget alia professione, sed fruatur omnibus professorum privilegiis: at eo ipso, quod aliqua persona proficetur, succedit Monasterium ipsi. Quare Pontifex nulli iuri alterius in hoc derogat. Ius enim venientium ab intestato est, vt Novitio decedente ab intestato ipsi succedant; quando autem virtute privilegij proficetur, non decedit Novitius. Et hæc omnia docet Sanchez vbi supra. Ex quibus patet responsio ad argumenta Peregrini.

4. Adde quod Megala vbi supra, tenet ex Decio, & aliis, bona Novitij decedentis ab intestato ante emissam professionem, Monasterio acquiri. Ergo multo magis acquiri debent, si tempore mortis Novitius intestatus proficetur. Vnde secundum sententiam Megalæ non obstat dicere cum Peregrino, quod privilegium Pij V. conceditur tantum ad indulgentiam lucranda, nam opinio Megalæ non fundatur in privilegio, sed in dedicatione personæ, & bonorum, quæ fit tempore simplicis ingressus in Religionem. Sed ego puto cum Zanardo, Sanchez, & aliis, nostram sententiam esse veram secundum privilegium Pij V. Quidquid asserat Peregrinus, & Rodriguez tom. 3. quæst. 15. artic. 6. Portel in an. Regul. ver. Novitij, num. 35. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 15. num. 12. & alij.

RESOL. CLXI.

An in articulo mortis possit dari professio Novitij? Et si moriatur sine testamento, an succedat in bonis eius Monasterium? Et an in dicto casu, quo fiat professio, Novitius, vel Novitia conualescens de infirmitate teneatur continuare, seu complere residuum anni integri probationis, ac iterum profiteri? Ex part. 5. tractat. 3. Resol. 139.

§. 1. Ad hoc dubium ita respondet Hieron. Rodriguez in Compend. qq. regul. ref. 101. numer. 40. Novitij Ordin. S. Dominici habentes legitimam ætatem ad profendum, in articulo mortis constituti possunt professionem emittere non completo anno probationis, ex Pio V. apud Bullar. Sed hoc ad consolationem spiritualem in foro tantum interiori concessum est, scilicet ad consequendam indulgentiam plenariam. Vnde virtute huius professionis non potest peti hæreditas Novitij defuncti, sed ad suos hæredes ab intestato pertinet. Nec hoc privilegium est reuocatum per Gregor. XIII. in reuocatione generali eorum, quæ sunt concessa à Pio V. contra ius & Concil. Tridentinum, quia non reuocavit in sua constitutione indulta pertinentia ad forum conscientie, quale est supradictum privilegium, quo quidem gaudent per communicationem Novitij, & Novitiae aliarum Religionum. Aduerte tamen quod Novitius, vel Novitia conualescens de infirmitate tenetur continuare, seu complere residuum anni integri probationis, ac iterum profiteri, ibid. artic. 6. & tom. 1. quæst. 8. art. 9. & addit. Sum. tom. 4. cap. 63. num. 4. & 5. Idem docent Henric. lib. 13. de excom. cap. 40. num. 2. in comment. lit. R. Sanchez vbi sup. num. 16. vbi existimat contra nostrum Authorem Monasterium succedere tali Novitiae defunctæ eo modo, quo succedit in bona profitentium legitimo anno Novitatus peracto. Sed immeritò quia nullo nititur sufficienti fundamento; nam, vt constat ex tenore dictæ confessionis, ea fuit facta ob solatium, & fructum spirituales Novitiae nempe ad consequendum meritum professionis, & indulgentias, neque vnquam Pontifices suis privilegiis intendunt præiudicare iuri alterius, nisi

* Sup. hoc in Ref. l. q. §. 1. ante mediū, à ver. Adverte tamen, & in §. 16.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in Ref. seq.

Sup. hoc in R. l. i. nor. præterita §. Verū cuius post mediū, ver. Nec ad pristinum.

Sup. hoc in Ref. præterita à §. Sed difficultas.

nisi expressè id declarent, quod hic non fit, vt bene notat Pater Miranda *tom. 1. manual. quest. 12. artic. 10.* Vnde professio sic emissã non est simpliciter & verè professio, nisi tantum quoad dictum effectum expressum in Bulla Pontificis, aliàs; si de infirmitate conualesceret Nouitius, non egeret noua professione, quod est contra mentem, & verba Papæ concedentis, qui expressè restringit suum priuilegium ad effectum consequendi meritum professionis, & fructum Indulgentiarum. Atque ita communiter sentiunt omnes super hac re scribentes. Hucusque Hieron. Rodriguez cui præter DD. quos *vbi infra* citauimus, addendus est Barthol. Vecchis in *praxi Nouit. disp. 13. dub. 11.*

Quæ hic est 2. Sed ego aduersus sententiam supradictorum
R. antecedens late differui in 3. p. tract. 2. resol. 17. & idèd cum mul-
signanter in tis DD. ibi docui in tali casu conferri Nouitiis veram
§. Sed diffi- ram professionem. Vnde si sanarentur, non egerent
cultas, & seq. alia professione, & è vita decedendo Monasterium
pro conten- in eorum bonis succederet. Et hanc sententiam tan-
to in hoc quam probabilem tenet etiam doctus & amicissimus
§. Pater Lezana in *Summ. quest. reg. cap. 25. num. 39.* licet dicat cautè in hoc procedendum esse, cum feratur aliter decisum fuisse à sacra Congregatione. Verùm cum de tali decisione non conllet authenticè, non recedo à mea sententia.

RESOL. CLXII.

An Nouitius in mortis articulo possit quouis anni Nouitiatu tempore professionem emittere?
Et in dicto casu notatur, quod talis Nouitius debet habere sexdecim annos completos. Ex p. 7. tr. 1. 2. & Milc. 3. Ref. 3. alias 1.

Sup hoc in
duabus præ-
cedentibus
Ref.

§. 1. **N**egatiuè respondet Lopez de Texeda *contr. Theolog. mor. tom. 1. lib. 1. tract. 1. contr. 8. num. 17.* vbi sic ait: De hac re nihil certum inuenio quantum ad tempus quod suppleri potest, vt possit nouitiæ, vel nouitio in articulo mortis validè conferri professio non completo nouitiatu anno, & idèd postquam quosdam viros doctos circa hanc rem consului, illos discordantes inueni. Nam quidam dicunt, diebus octo posse nouitiæ, vel nouitium ante expletum annum ad professionem validè admitti in mortis articulo. Alij verò magis extendunt priuilegium, & asserunt quindecim dies suppleri posse; sic audiui à Magistro Petro de Ledesma, & Magistro Herrera, de hac re consultis, cui sententiæ valde adhæreo, quibus cum alijs Doctoribus addo, posse vnicum dumtaxat mensẽ suppleri: quia huiusmodi gratia fuit à Pontifice concessa nouitiæ pro sola eius spirituali consolatione, vt frueretur gratis, & priuilegijs Ordini concessis, & vt consequatur omnium suorum criminum remissionem, qualem consequi dicemus eos, qui solemniter professi sunt. Ad rationem dubitandi. Respond. quòd licet illa facultas accelerandi professionem in mortis articulo sit gratia, & idèd ex eo capite amplianda, tamen quatenus exorbitat à iure communi, est potius restringenda saltem ad verborum proprietatem, quæ non potest dici restrictio, sed potius adæquata priuilegij interpretatio. Hucusque Texeda.

Quæ hic est 2. Sed vt verum fatear omnes Doctores quos ego
supra R. 160. citavi in *part. 3. tract. 2. ref. 17.* quibus adde Zambel-
lum in *reper. Mor. ver. Nouitius, num. 18.* Mirandam in *Man. tom. 1. quest. 12. artic. 10.* Gaudentium in *Man. Episcop. verb. Monialium professio, num. 4.* Bordonum in *tract. de Professore Regul. cap. 4. quest. 49.* non requirunt aliam conditionem, vt Nouitius possit emittere professionem ante annum elapsum, nisi articu-

lum mortis, vnde absolutè asserunt intra tempus probationis posse Nouitium in articulo mortis professionem emittere, & Ioannes Caramuel in *Reg. D. Re. ned. disput. 40. num. 463.* testatur Salmantice Patres Cistercienses dedidisse professionem in articulo mortis Nouitio post tres dies habitus suscepi, & certe nouitiu Pontificis Pij V. pro priuilegio fuit consolati Nouitios pro tempore mortis; & sic in omni tempore anni nouitiatu, si mors acciderit, & quidem verba Bullæ Pontificis secundum verborum proprietatem pro omni tempore anni nouitiatu possunt intelligi, & hanc sententiam ego teneo. Nota vero, quod talis Nouitius debet habere sexdecim completos annos.

RESOL. CLXIII.

An Nouitij morientes possint eligere sibi sepulturam? Et quid, si in domo parentum moriantur, si ibi sint cum habitu, & licentia Prælati, an debeant sepeliri in Monasterio?
Et notatur, quod Religiosi possunt suos Familiari intra claustra morientes in sua Ecclesia sepelire. Ex p. 3. tr. 3. Ref. 109.

§. 1. **I**n Ta ad hunc casum respondet Iulius Laurorius in *elucubr. tit. 2. cap. 11. num. 99. & 100.* Regulares qui decedunt intra probationis annum, non sepeliuntur in Monasterio, quia non censentur plenè translati ad Monasterium, cum possint redire ad sæculum, *cap. statutus, de Regular.* & sic sepeliuntur in Ecclesia, in qua sepeliri debuissent, si ad Monasterium non fuissent translati. Archidiacon. *cap. cum quis, de sepult. in 6.* quod intellige, nisi se aliter habeat conseruato, ex Syluestro *ver. sepultura.* Alij autem distinguunt, aut enim fuerunt in proposito redeundi ad sæculum, & tunc si sunt impuberes debent sepeliri in sepultura maiorum suorum, si puberes in sepultura electa; aut non fuerunt in tali proposito, & tunc sepeliuntur in proprijs Monasterijs, & hæc opinio concordat cum supradicta, dum loquitur de translatis. Nouitij tamen non possunt eligere sepulturam, etiam ante emissam professionem, neque post, licet secus alij sentiant. Ita Laurorius, sed confusè, & sibi contrariando.

2. Audiamus igitur Villalobos in *summ. tom. 2. tractat. 31. diff. 2. num. 13.* vbi sic ait. Los Novicios se han de enterrar en los Monasterios donde son Novicios, como esta en costumbre, lo dixo Syluestro. y el Padre Fray Manuel dize, que es conforme à los priuilegios de las Religiones, y esto aunque muriese en casa de su padre, estando alla con el habitillo y licencia de su Prelado, como dize el mismo Padre Fray Manuel, aunque de derecho se banian de enterrar en los sepulchros de sus mayores, y no los auian de enterrar en la Paroquia, como dize Archidiacono. Mas ha de advertir, que los Novicios pueden elegir sepultura, como pueden dexar el habitillo, y voluerse al siglo. Notandum est etiam hic obiter cum Portel in *dub. regul. ver. sepultura, n. 2.* quòd possunt Religiosi suos familiares intra claustra morientes in sua Ecclesia sepelire.

RESOL. CLXIV.

An Nouitij gaudeant priuilegijs professionis alicuius Religionis concessis, vel solum priuilegio Canonici? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 73.

§. 1. **N**egatiuè respondet Rodriq. in *quest. Regul. tom. 3. quest. 51. art. vltim. & Portel in dub. Regular.*